



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

Paulus <Bernriedensis>

Ingolstadii, 1610

XLIX. De inuentione corporis eiusdem, & miraculo grauitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)

uauienti Episcopo, quorum videlicet vterque membratim casus fuisse memoratur: ille, temporibus antiquis; iste, modernis.

XLVII. Nunc stylus noster singulariter vertendus est ad Beatum VVicterpum, si forte compensare possim aliquam negligentiam maiorum. Nam à diebus S. Magni Confessoris, quem idem Præsul apud Eptaticum primitus vidit caelesti lumine coronatum, & paulò post ibidem gratulabundus ordinauit presbyterum, nullatenus eius mentionem vel audiendo, vel legendo suscepimus, vsque ad tempora sanctæ Herlucae, excepta duntaxat translatione, quam senes, qui viderant ipsi Herlucae sic referre solebant.

XLVIII. Henricus Augustensis Episcopus, indicens triduanum ieiunium, cōgregauit maximam multitudinem Clericorum, monachorum, & laicorum: & veniens Eptaticum cum crucibus, reliquiisque Sanctorum, aperuit Beati Pontificis sepulchrum, sed non inuento corpore, contristatus est valdè. Tandem percunctatione habita, repertus est, qui diceret, se suspicari furtiuè sublatum fuisse à quodam presbytero malæ conscientiae, propter offensam tantæ sanctitatis contremiscente, retroque altare S. Laurentij collocatum esse: eo quòd ipse puerulus patrem suum villicum, & eundem presbyterum nocte quadam secutus fuisset, ac tale quid molitos audisset.

XLIX. Verùm cum per hanc indaginem prænominatus Antistes antiquum prædecessorem suum latissimus inuenisset, & versus Augustam ducere cœpisset, tanto pondere fixus est repente, vt penitus moueri nequiuerit à tanta, quæ aderat, multitudine. Nolebat enim antiquam familiam suam corporalis præsentiae
sola-

folatio destituere : quamuis eam , dum vixit , de suo transfuderit in dominium sanctæ DEI GENITRICIS MARIÆ.

L. Quod etiam translator animaduertens , reduxit eum in Eptaticum , miraculo^a inleuitatis conuerso in miraculum , illatumque Oratorio , quod prænotatus miserabilis presbyter nefanda pollutione profanauerat , & ideo sanctum corpus extulerat , & imposuerat vas lapideo , cuius vsus accommodatus fuerat baptismo , super quo illud altare constructum dedicans , totam domum debita purificatione sanctificauit.

a hoc est, ponderositatis, seu grauitatis.

LI. Itaque sanctorum numero sociatus B. Præsul VVicterpus , utpote sub altari , secundum Apocalypsin B. Iohannis Euangelistæ , Martyrum CHRISTI collocatus , propter exilitatem tamen loci , & imperitiam sacerdotij , nondum dignè est glorificatus. Quidam enim nec depositionis eius diem hætenus agnouerunt , cum apertè legatur in vita S. Magni , quod obierit in quarta decima diè Kalendarum Maij.

Apocal. 6.

LII. Ex hac imperitia , vel incuria processisse puto , quod Hartmannus presbyter Eptatici , idemque Præpositus apud Augustam Canonicorum S. Mauritij , sacrilegium non timuit in libris B. VVicterpi committere ; vnde eum & lumen oculorum contigit amittere. Verùm de hoc magna DEI miseratio , magnumque meritum S. Pontificis enituit : quod quamuis alienata volumina nec restituere , nec recompensare valuisset ; cum ex corde pœnitenti , & oculis lacrymosis DEO , suoque Confessori supplicando satisfecisset , præsentem Herluca visum recepit , & gratias egit.

LIII. Quadam etiam vice corripuit ipsam *Herlucam* B. VVicterpus in visione , eo quod naturalem infirmitatem,